

1896.




Add. 10. Mihri. Diff. in ang. de iure medicorum, Au-  
reliae 1693 hab. vid. Bedathnerus grumb. foliorum  
Mülleris vectorij Chemnicensis Progr. de veterorum  
sernis medicis. vid. Niedermannus acta scholast. A.

f. 1. part. III p. 303.

Pet. Zornii epist. qua disquiritur: Medici olim  
serni querunt, nec ne ad varios. fieri pectorae  
f. locorum illustrat. in ejus opere. facit.  
f. 1. p 335 - 340 recta, edita antehac hi-  
lonii 1710.

~~ACCLAMATIO VOTIVA~~  
~~V I R O~~  
PRAENOBILISSIMO EXPERIENTISSIMO  
EXCELLENTISSIMO,  
DOMINO  
MART. GOTHELF  
LOESCHERO  
MED. D. ET PROF. EXTRAORD. SEREN. DVCIS  
SAXO-VINAR. PHYSICO PROVINCIAL.  
NVNC  
PROFESSORI PHYSICES  
ORDINARIO  
REGIA AVCTORITATE CONSTITVTO  
CVM DISSERTATIONE BREVI  
DE  
HONORIBVS MEDICI  
DICATA  
A  
IVSTO CHRISTIANO THORSCHMIDIO  
LIB. ART. MAGISTRO

ACCLAMATIO AQUITIA  
A. G. R. O.  
PRAESES CONSISTORII EX PARIENTIA SISIMO  
EXCELSITASISIMO  
DOMINO  
MART. GOTHELI  
FRESCHEIRO  
PROFESSORI PHYSICI  
ORDINARIO  
REGI VACATIONALI CONSULTANTIO  
CAV. DIFFERENTIALE INSTITUTIO  
DE  
HONORIBVS MEDICI  
DIUTIA  
H. A. T. O. CHRISTIANO THORE SCHMIDIO  
EX VULGARIBVS



Vando Vestram intuor Gentem, *Vir Excellentissime*, animo mili obversantur antiqua illa Fabiorum, Æmilorumque nomina, quorum gloria in tantum excrevit, ut vel soli Rempabl. Romanam sustentasse, pristinamque libertatem armis et consilio vindicasse, iustis rerum aestimatoribus videantur. Quantum autem, qui Patriae iura consilio, et armata manu asserunt, ceteris praestantiores sunt hominibus, tantum reliquos antecellunt excellentissima eorum ingenia, qui literas amplificant, diviniorem coetum ore et calamo tuerunt, qui iura mortalibus reddunt, qui abstrusas naturae opes, reconditasque rerum vires scrutantur, doctissimique ingenii inventis, nomen ab oblivione immune praestant. Haec LOESCHERORVM illustre nomen a longo abhinc temporum ambitu, studia propria sibi fecit ac domestica, cui hanc, modestissimam quidem, laudem invidere, Herculi clavam extorquere esset dicendum. Sive enim ad eos, qui columnae amplissimae domus constituti sunt, oratio mea non adspiret, utpote tenues et imbecilles nostras laudes pridem supergressos; in Te iam *Vir Excellentissime*, novum splendidissimumque sydus oriri sibi videt Vestra gens, neque tamen illud salutare sibi solum, sed Academiae, sed orbi, quocum ut solidissimam rerum Naturalium cognitionem partiare, Philosophiae Naturalis, Professor Publicus, idemque Ordinarius, Regia sanctissimaque constitutione es vocatus. Indignum adeo

A 2

iudico

iudico homine, quem Vestrae Gentis splendor ac amplitudo pri-  
dem ad submissae mentis cultum devovit, silentium iners, tanto  
nunc magis evitandum, quo proprius ad summum felicitatis gen-  
tilitiae fastigium, in Te videnuis Vestrarum domum ad spirasse. Ne-  
que tamen est, quod rei me ac instituti novitas moveat, cum quo-  
usque saltem cognitio mea in antiquorum gestis pertingere  
potest, videam, aequalem honorem, justosque plausus Artis sal-  
utaris ac scientiae Naturalis doctoribus esse perfolutos. Tem-  
pero nunc mihi in tuendo Medici honore, a nimis ambitiosis artis salutaris originibus e coelo, ex Apollinis cuiusdam ingenioso  
cerebro deportandis, quod Graecorum iactantiae relinquendum  
puto; ab ipso tamen *Aesculapio*, a Cicerone de Nat. D. pro Apollini-  
nis filio habito, primordia honorum Gratiose Ordini decreto-  
rum recte capienda, non praeter rem iudico, cum omnis facile  
antiquitatis suffragii inter divos relatum eundem, animadvertissem.  
Hinc divino, eo tamen Heroico cultu exceptus a Graecis pri-  
mum, qui vita nihil antiquius cariusque habendum rati, Fanum  
Epidauri *Aesculapio* statuere, cercisque statua eius illustrata, thura  
et cinnamum adolevere. Graecorum cultum, uti in reliquis,  
ita in conferendis Medico huic honoribus, honesto quodam am-  
bitu Romani imitabantur, templum Viro in insula Tiberina de-  
dicantes, quod deinde aegrotis magno cessit solatio, qui in eo  
pernoctantes, sanitatem sibi inde redditum iri credebant. Cuius  
rei memoria hodienum durat apud eos, qui doctis itineribus Ro-  
mae antiquitates scrutantur: quando Paulus Merula, sedulus anti-  
quitatum observator, hoc *Aesculapii* templum in Regione urbis  
XIV. honoribus nunc S. Bartholomaei dicatum, Geograph. Ital.  
P. II. L. IV. animadvertisit, alias vero S. Joannis Colybitae aedem,  
expulso pristino patrono hodie vocari afferit. Ut adeo habeat,  
in quo se a levitate et inconstancia purget Ed. Herb. Cberurius,  
Libro IX. de Relig. Gentil. Cap. XI. divinum ipsi in Urbe cultum  
afferens, mox vero eodem capite extra urbem eum locans, hac divi-  
natione usus: quod ominosum fortasse Romani putaverint, Me-  
dicum DEVVM in urbem ipsam introducere, ne aegrotorum nu-  
merus,

merus, DEO ipso in sui gloriam id procurante, augeretur, hinc extra portam facillum ei constitutum. Qua vero autoritate in hoc aserto nitatur, Vir alias antiquitatis peritissimus, ipse tacet, neque facile prisca Romanorum superstitione fastum, mortalibus adeo perniciosum adscripsisse Deorum cuidam, est putanda. Servatus postea, divinus medico honos in statuis, quam praegrandem Museum Octavii Tonsarelli Romae olim iactat, in numis, quorum pretiosissimum sicut Georg. Hier. Velschius, eruditissimo de Vena Medinensi s. Dracunculis Veterum Libro, Cap. III. quo loco Aesculapius conspicitur in Sardonyche, Hygeiam neptem laurum tenentem manu dicens, quem eundem Angelus Abbatius cum duobus serpentibus exhibet. Eadem Aesculapio vota quoque facta solemnia, teste marmore Reis Apollinaribus reperto, cum signo aereo somni, et torque aureo duobus dracunculis insigni, quod et lapidis in Alba Regia reperti inscriptio probat, ex qua pro sua suorumque salute Aesculapio sacrificatum esse, apparet. Quid vero Dracunculi et serpentes imaginem Medicorum ambientes sibi velint, ex hieroglyphica haud dubie Agyptiorum doctrina petendum venit, quibus, ut et Romanis serpens divino honore est habitus, sub cuius imagine Aesculapium, Hippocratem et reliquos principes Medicos latere, non vano augurio opinantur erudit. Ovidius sane, Metamorphoseon Auctor, L. XV. Aesculapium in serpentem transmutatum meminit, quando canit: quod DEVS explicit (replicat alii) orbes perque sinus cebros et magna volumina labatur. Relinquatur hoc fabulae, id tamen fundamenti loco illi substernatur, prudentiam (a Pierio in Hieroglyph. serpenti pluribus vindicatam) in Medico primas facile tenere partes, cuius scilicet est, notare morborum periodos et mutationes, ut eo melius saluti aegrorum cui recuperandae adhibentur, consulere queant. Traxit vero id in paganorum ludibrium CL. Pater Arnobius, L. VII. adversus Gentes, de Aesculapio in ejus cultores ludens: quod per terram reptet et coenum, solum mento radat, et pectore tortuosis voluminibus se trahat, ad popu<sup>l</sup>os eo alludens. Amandetur ea superstitione ad homines, DEVUM in imagine hominis corruptibilis corruptentes; Facest, hic que-

que Cherburii eiusque partibus studentium, sententia, quod Deorum multitudo ac copia summi illius explicit saltem munera diversa , vel curas circa genus humanum cum eo partiatur : Firmum vero simul maneat , prudentiam , si cuiquam commode, Medico certe convenientissime fuisse assignatam , eoque simulacro commendatam. Alio plane ab his sciunguntur instituto, haeretici , qui vocantur *Opbitae*, quos tradunt , serpentem boni et mali autorem habuisse , ipsamque Σοφίαν in serpentem versam asseruisse , stultissimos haud dubie mortalium dicendos , nisi ex Irenei L. I. c. 34. constaret , nil adeo certi de iis statui posse, quoad integra eorum Philosophia vel Metaphysica, esset perspecta. Asclepium , nisi idem ille forsitan sit Aesculapius , a Diodoro Siculo magnis elogiis celebratus , Chemici tradunt adhuc vivere : lubrico, inani ac pene nullo , quo fidem faciant , argumento , quem illi , si superesset , pridem in consortium suum , mutuumque adiumentum , in inveniendo optimo metallo , in quo inani operat seculis desudatum , traxissent : quibus tamen consultius foret , artibus Asclepii , et medendi curae insistere , quibus ille aurum iusta diligentia quaesivit , et plus quam voluit , invenit. Hunc genere proxime attingit *Hippocrates*, cum infinitis , idem nomen fortis , non commutandus , cuius stirpem *Job. Tzezes*, *Rein. Reiniccius*, *Hier. Henningius*, *Lindenius* ( hic vero a Dan. Clerico in Histor. Medic. P. I. L. IV. non uno nomine castigatus ) pluribus deduxere . Tanta is nominis fama apud cives floruit , ut diem eius natalem postobitum quotannis festum habuerint : Vivus enim ad huc pro praesenti DEO est habitus , qui universam Graeciam pestilentia liberavit , suorum amantissimus , adeo , ut cum magnis pollicitationibus ad Artaxerxem Regem invitaretur , venire recusaverit , civibus se plus debere causatus quod eius Epistolae , T. II. Hist. stul. et sap. declarant. Cui vero illustri medico fraudi esse non poterit , quod , Plinio teste , cum mos antea fuisset , liberatos morbo , scribere in templo eius DEI , quid auxiliatum sibi esset , ut postea ex ea similitudine proficerent , hic exscriptisse ea tradatur , atque iam templo cremato , instituisse Medicinam hanc ,

hanc, quae Clinice vocatur. Prostant Viri scripta et sententiae, prototidem oraculis ac sententiis divinis habitae, iusto cuncta catalogo recensita ab Excell: Hamburg: Philologo, I. Alb. Fabricio, Biblioth. Gr. L. II. c. 24. Non vulgaris olim erat honor, si cui victus in Prytaneo publicus decernetur, quod vero Hippocrati et eius posteris concessum, teste *Sorano* in eius Vita. explicat hunc honorem magno doctrinae apparatu, CL. *Aischenbachius* in *Sypos. Sapient. Dissert.* p. 294. seq. Massiliensibus laudi hodienum ducitur, aliiisque publicis sumtibus Medicos, Strabone teste, eique assentiente *Conringio* Antiquit. Academ. supplem. VIII. Mодum epistolae excederem, siquidem illustres Medicorum honores, uti quidem meretur virtus eorum, prosequerer. Maximo, inter reliqua, fuit honori Artem salutarem professis, statua ornari, qui honor, nisi principibus viris, aliisque de patria bene meritis vel patrocinio civitatibus praefito, vel beneficio aliis exhibito illustribus, contigit nulli. Meretur ea de causa, qui plarium manibus obversetur, elegantissimus *Edm. Frigelii Liber*, de statuis Illustr. Rom. qui uti reliquam Antiquitatem per statuas illustrat, ita honores Medici, per statuas aeternitati demandatos non ultimo loco habendos duxit L. I. c. 13. Antonio potissimum *Musae*, Medico Augusti postquam gravi ac periculo morbo afflictam eius valetudinem expedivisset, praeter magnam pecuniarum copiam statua, aere collato iuxta signum Aesculapii a P. R. statuta est, teste Sveton. in August. c. 59. Quos Alexander, a rerum gestarum amplitudine magnus, Medicis honores contulerit, pervulgatum est, quemadmodum etiam exercitus eorum imperio subiectos, novimus. Mihi quidem, sacris studiis operanti, maximopere placet, sacris etiam usibus ministrando, Medicos honores suos in tantum auxisse, in quantum in reliquis crescere ii potuere. Quantum enim ad aegrotorum unctionem attinet, quam illustris *Iacobi Apostoli* locus cap. V. §. 14. attingit, tantum abest, ut gloriae quid inde Christiani suo captent, Romanorum sacra profidentes, ut potius sanctam Medicorum curam in aegrotis ungendis tangat sacer scriptor, qui facili id negotio, oleo suo, ultimum robur morienti addituro, adeoque *euθανασίαν*, et placidam mortem, quam Seneca in

in Medico , ut aegrotis conciliet , adeo requirit , paraturo , poterant efficere . De quibus ceterum sacris unctionibus Fortunatus *Seccbus* Sacror . Elaeochrism . Myrothec . I . c . XXI . uberiorius egit , illamque unctionem ad doctrinam de qua I . Joh . II . 2 . ab ea , quae ad sanitatem facit , doceo distinguit . Ut adeo dubitari posse , unctionem a quoquam Apostolorum esse peractam , cum diversorum officia legantur , illorum est προστίχας , horum vero αλευθερία , curam illi animae , hi corporis agebant . potissimum cum antiquioris historiae monumentis in nostra sententia adiuvemur , testantibus , utrumque saepius ordinem hunc apud aegrotos convenisse , diversis officiis fundatum esse . Longe enim aliud relictum sibi arbitrabantur divi Apostoli , ut docet M . Clerk en Histoire de Medicine P . III . Alioqui per το ελαύον unctionis spiritualis indigitari posset , precibusque adscribi , quod Medicus oleo et unctione praefaret . Neque tamen hoc indignum numere eorum quod DEUS mortalibus benignus concessit , quin potius gloriosum , cum videant , viros adeo Principes , regnorum ac inferiorum , gubernacula tenentes , non erubescere , artem salutarem profiteri , eiusque ope mortalium saluti consulere . Otium mihi fecit in eo Excellentissimus Polyhistor *Morbosius* , de Medico Principe prius commentatus . In gloriae partes , uti quidem vulgo perhibetur , cedunt Habsburgicae Domus comites , Franciae et Angliae Reges , quibus domesticum est , strumas , aliasque naturae degenerantis formas sanare : Pyrrhus Epirotarum Rex , spleneticos sanitati restituens : Vespasianus , coecum sanans (salva tamen Boxhornii , Quæst . Rom . IX . aliorumque de sic dictis Vespasiani miraculis , sententia ) Balliolorum apud Gallos illustris familia , crurifragis , prolapsis , iictis , vi tacita , pristinum habitum largiens : Saludadores five Salvatores in Italia , verbis et afflatu sanantes : Arabes omnes Principes , Scotti singuli nobiles , praeeunte Rege Iosina , et in numeri alii , virtutis suae praedicatores nasci vel *Felicem Fabrum* in Historia Svevorum vel *Buchananum* in Histor . Scotiae vel Georg . *Pascbam* , Invent . Medic . c . VI .

Hacten



Hactenus Honores Medici sibi constant, durant, atque intam-  
natis honoribus fulgent, quoad tamen per eos licebit, qui *Medi-  
cos* apud Romanos antiquitus *Servos* fuisse singulari et firma-  
animi persvassione tueruntur. Non ignobilis omnino Controversia  
est, in veterataeque opinioni, de servitio Medicorum aperte op-  
posita, cui quod faveat, si superfunctorie causam contempleris,  
omnino non parum est. At vero, pace Virorum eruditissimo-  
rum, secus sentientium, licet dixisse: ut plurimum hactenus  
promiscue servitutem Medicis vel assertam omnibus, vel nega-  
tam cunctis. Damus, extitisse servos Medicos, eos venditos ex  
lege, vel LX. solidis, mancipique loco habitos, quandoquidem  
illud Senecae L. III. de Benef. urgent: *Imperavit servo, eidemque  
Medico suo*: omnes vero Medicos Romae servos fuisse, eius equi-  
dem rei nobis vix fidem facient. Probatum, in eorum gratiam,  
servos fuisse Medicos, at ungventarios, at vulnerarios, dentibus,  
oculis, auribus, singulos singulis membris, corporisque affectio-  
nibus medentes. Distinguendus adeo venit Medicus, nec eodem  
semper loco habendus, propria vocis acceptio adhibenda, ab Jatra-  
lipta, quales extitere quidam servi Medici, docte separandus. Quis  
enim unquam servos fecerit illustres Romae Poliatros, *Asteplum*,  
*Celsum*, *Sextium Nigrum*, *Iulium Bassum*, honorifice Romae ha-  
bitos, liberos scilicet. Quis unquam servis statuas positas esse  
comperiet, nisi vel libertis, vel liberis: et quando servis positae  
leguntur, Romae illud decrescentis dat indicium. Enimvero,  
fuere Haereticis etiam hominibus statuas positae, sed dedecoris  
causa, Ario scilicet, Macedonio, Sabellio, Eunomio, qui desiden-  
tes humi sculpti sunt, ad notandam eorum perfidiam, ut a praet-  
tereuntibus stercore ac luto contaminarentur, ut P. Gyllius, L. II.  
Topograph. CSpol: notat. Objiciunt: Civitate donati Medi-  
ci a Iul. Caesare, ergo non liberi, sed se: vi fuere? Num vero  
advenae civitate donari non potuere. Quodsi omnes hi mani-  
cipia fuissent, quantum quaeso damni, ob amplissimum eorum  
numerum, illatum Dominis eorum esset, ex tot hominum sibi  
propriorum manumissione? Neque etiam qui servus fuerat, Ci-  
vis Romanus salutari poterat. *Eudemus Medicus*, Tacito Anna-  
B lium

lium Conditori, Liviae amicus vocatur. Sane Livia, maiestatis Augustae non adeo prodiga fuit, ac immemor, ut cum servo amicitiam contraxerit. Quem quidem amicum, si vel maxime sanctioris consilii senatorem velis, multo minus servum dices. Post Augusti vero excessum, iterata servitutis eorum reddit mentio, cum patresfamilias plures alerent Medicos, eos tamen liberos pariter ac servos, hos quidem ungventarios, auricularios, in balneis servientes, aliasque plures, crescente scilicet luxu, ad Ægyptiorum morem, qui ungventarios plures habuere. Professos tamen medicinam ea aetas iusto ordine, a I. Caesare constitutos, et Professorum salario auctos, habuit: Medicinam vero servos professos, nullibi legeris. Non raro etiam contigit, ut ingenuus quidam ab hoste captus, pro servo venderetur, quod Platonis, aliisque plurimis contigit: quis inde eliceret, Philosophos fuisse servos, vel quod Epictetus quoque Epanphroditii servus, Philosophiam exercuerit. Maximo potius honore Medici Romae habiti, Quiritibus ipsis Medicinam excoletibus, et ad sextumviratus dignitatem admotis, quod ex Vrsati monumentis Patavinis cognoscimus. Hos vero honores servis tributos esse, nemo antiquitatum vel modice peritus affirmaverit. Nolim tamen promiscue afferere de Aliptis, quod servi illi fuerint, quandoquidem non obscure in antiquorum scriptis reperio, Medicos hos sibi in medendi cura adiunxisse, sanandique laborem cum his quasi esse partitos, ita, ut illi curam salutis haberent, his vero virium et coloris relinqueretur reparatio. Ita enim Cicero L. I. ad Famil. epist. IX. Sed vellem non solum salutis meae, quemadmodum medici, sed etiam ut Aliptae, virium et coloris babere rationem voluissent. Celsus quoque sanum ac bene valentem hominem neque Medico neque Alipta egere, eadem ratione pronunciat. L. I. c. I. et Plinius L. XXIX Cap. I. Discernendi aeo veniunt Iatraliptae, a valetudinis cura a se habenda, dicti, et inter Medicorum servitia quandoque agentes, ab Aliptis, illis qui vel palaestritas, vel balneis utentes ungebant: quorum officium Ad. Brendelius, Medicus Philologus excellentissimus, in Dissert. de Balneis Deterum, valetudinis causa adhibitis, §. IX.

ex

ex antiquitate docte explicat. Vnguentarii quidem , quos ale-  
bant plurimos illi , qui in re lautiori versabantur, exservitio, ut no-  
bis quidem videtur , se nunquam vindicabunt: at vero *Vnguentarii*  
liberi facile , ac genuini asseruntur, teste antiquo lapide , ex Venu-  
sia Apuliae ad *Manutium* transmisso , in quo , eos qui corpora ho-  
minum ungerent , in honore atque existimatione versatos esse vel  
inde adparer , quod liberi fuerint, et nobiles , quisquam familiam  
manumittere potuerint. Verba , quae huc faciunt, ex lapide , quem  
CL. *Scacchus* Elaeohrism. Sacr. Myrothec. I. c. 17. exhibet, habemus  
ea: CLAVDIO. PHILARGYRO. VNGENTARIO. ISQ. FAMI-  
LIAM. SVAM. MANVMISIT. PECVNIAQMVE. LEGAVIT.  
Sufficient haec distingvendis Medicis, eorumque honoribus asse-  
rendis : Reliqua vero , quae obiici hoc in argumento possint  
ex loco quodam Plinii , Legumque variarum Codicis , redu-  
ci facile huc possunt , refellendaque a me relinquuntur Viro  
Artis salutaris experientissimo , Lic. Sigismundo Schmiedero ,  
Academiae Carolinae Socio , Fautori et amico honorando , qui  
pro ea qua in Philologia pollet copia , peculiari Observatio-  
ne , de Medicina a Servitute antiqua vindicata , et Ephemer-  
dibus Naturae Curiosorum propediem inferenda , hanc contro-  
versiam accurato studio pertractabit. conferri interea merentur  
Ioach. *Potgiesserus* , Tremoniensis L. II. de statu et conditione  
servorum apud Germanos , cap. 8. Io. Conr. *Barkhausen*. Histor.  
Medic Dial. I. Maximos tamen ego et plenissimos putaverim  
accessisse Medicis honores, quando publico ac solenni Ecclesiae  
consensu *Sanctorum* appellatione sunt cohonestati. Cum enim  
alios sacra auri fames ad iuvandum aegrotos compelleret , hi  
interno quodam misericordiae motu perculsi , ardentissimam cupiditatem , in felicissimo statu proximum conservandi ex puriori DEI cultu. traxerunt. Hinc celebrant Fasti Sanctorum AEmilianos , Cosmos et Damianos (Facultatis Medicae VVitteberg: olim Patronos) Dionysios , Eusebios , Gennadios , Damascenos , Pantaleones , et quamplures alios, illustres item foeminas , Augustas , Principes , cuius utriusque sexus Sanctorum Abr. Bzovius , Andr. Tiraquellus , Gvil. Duvallius , novissime Chr. Bened.

*Carpzonius*, iustos Catalogos exhibuere. Sed quid opus ex antiquitate repetere honores Medici, qui Palatini, et in Principum consiliis fuere, cum nostra adhuc aetas, Regum atque Principum latera cingentes ostendat, sanctioribus consiliis admotos, inque splendidissimo comitatu tantum non primum locum obtinentes. Durare adhuc Medicis suos honores et praemia, in hac ipsa Academia *Te ante Vir Excellentissime*, habes splendidissima eademque illustria exempla, in iis, quorum nunc vestigia premis, honoresque pari passu sequeris: *Illustribus BERGERIS*, quorum gloriam, sanctior *Regii* corporis cura illustriorem, purpura vero Academica, qua nunc fulgent, splendidiorem posteritati relinquunt: *VATERIS*, quorum virtus cum in Academia vix contineretur, tot Principum votis expetita, tot felicissimis in Arte sua successibus nobilitata, ut plane immortalis esse videatur: *BRENDELII*, dignis iam Medico honoribus, cum Orbis, cui pridem inclaruere, Artisque studiosorum plausu, maiestatis, principum Virorum valetudine conservata, celebratis, laudesque nostras pridem supergressis. Gratosum Vestrum Ordinem adhuc retinere suas Gratias, quae Principes etiam viros allicitant, indicio est, quod *Sereniss. Saxo VINAR. PRINCEPS*, curam salutis Provinciarum suarum, Arte Tua tuendam, Clementissime in *Te* devolverit. *Augustiss. POLONIAR. REX*. Academiae Nutritor munificentissimus, Medicinam docere, adiecta muneris amplitudine, iusserit, *idem* quoque, quo est erga literas divinissimo affectu, amplissimis muneribus Ordinariam Physices Professionem adiecerit. Publico excipit plausu ac veneratur hanc Regiam voluntatem, Orbis, cui per remota abhinc itinera, literarum commercia, Lectiones doctas, scripta, pridem inclaruisti: Vota facit et multiplicat Cliens, Vestraeque Genti devotus, pro salute *Tua*, *Tuorumque* pleno nunc iubare singulos eruditorum ordines illustrantium, salute, dignitate, splendore, quae cuncta, ut ad seros usque posteros deriventur, devota mente, submissoque cultu, precatur.

---

VITEMBERGAE FORMIS KREVSIGIANIS, M DCC XIV.

Ma 1612. 8

?

ULB Halle  
003 856 135

3



56.

VOIP

VDL





OVOTIVA  
R O  
XPERIENTISSIMO  
TISSIMO,  
I N O  
OTHELF  
HERO  
RAORD. SEREN. DVCIS  
ICO PROVINCIAL.  
NC  
I PHYSICES  
ARIO  
TE CONSTITVTO  
TIONE BREVI  
S MEDICI  
TA  
D THORSCHMIDIO  
AGISTRO

B.I.G.

M  
ME  
P